Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-567836-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-567836-p0002-5

# DE CONTINVANDA ANNVORVM REDITVVM PRAESTATIONE.

Diſputatio Publica;

*D. T. O. M. A.*

SUB PRÆSIDIO

*Magnifici, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, & Excellentiſſimi,*

*VIRI*

DN. JOH. OTTONIS TABORIS,
U.J.D. IN ILLUSTRI ARGENTINA ANTECESSORIS, SENIORIS, CODIC. ET FEUDAL. PLACIT. P.P. CELEBERRIMI, Dn. PATRONI ET PRÆCEPTORIS SUI
ſubmiſsè colendi,

*INSTITVTA ET PROPOSITA*

*à*

JOHANNE GEORGIO KOLLENBERGER,
Heilbrunnenſi.

*Ad diem* 20 *Octobr.*

*ARGENTORATI,*

Ex Officinâ Typographicâ JACOBI THILONIS.
*ANNO* CIϽ IϽC LI.

667
Dep. XX
I 132
15

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-567836-p0003-1

668

# ARTICULUS V.

## Exhibens

*Reſolutionem Dubiorum à Salmaſio, contra redituum annuorum Conſtitutionem, Civitatibus cum privilegio & prærogativa conceſſam, injectorum.*

### I.

ENarratâ hunc in modum *redituum annuorum hiſtoria*, proclive erit, eorundem inſtitutionem legitimam, intraque modum legis coërcitam, à quibuſvis impetitionibus liberare. Nam quod Salmaſius *primo loco* urget: *in omni emtione pretium debere transferri in venditorem: hoc autem caſu non transferri; ſed manere emtoris, in ejus bonis computari, transferri ab emptore pro lubitu in alium, alii cedi, donari, doti dari*: Id, inquam, diſtinctione inter emptionem *ſimplicem* ſ. propriam, & inter emtionem *certo pacto informatam*, facilè diluitur. Pretium enim in hoc contractu non abſolutè & irrevocabiliter datur: ſed cum pacto recipiendi, avocato quandoque fundo, ſeu jure percipiendi penſiones, *arg. l. 2. C. de pact. int. emt. & vendit.* Imò venditor, qui pro jure redituum à ſe alienato pecuniam accepit, ad illam reſtituendam nequaquam obligatur & conſtringitur, ſed illam perpetuò acquirit, Quamvis ipſe emtorem ad pretium recipiendum, & rem reſtituendam poſſit cogere. *d. cap. 1. & 2. Extravag. de emt. vend. d. Ordinat. de Anno* 1548. *&* 1577. *Molin. de Commerc. quæſt. 1. n. 21. Roderic. lib. 1. de ann. redit. quæſt. 4. n. 4.* adeoque concurrunt etiam in reditu pecuniario tria eſſentialia emtionis & venditionis requiſita (1.) conſenſus, (2.) pretium, & (3.) merx, quæ eſt ipſum jus & facultas percipiendi ex re aliena reditum. *Roderic. d. loco n. 22. & ſeqq. Covarruv. 3. var. reſol. cap. 7. n. 2.* nec pacta reſolutiva contractus eſſentiam impediunt aut tollunt. *l. 3. de contrah. emt. l. 6. C. de pact. int. emt. & vendit.* inprimis v. illud de retrovendendo. *l. 2. & 7. C. d. t. vid. Coll. Arg. de contrah. emt. θ. 54. n. 2. & de reſcind. vendit. θ. 15. f.* emtionis

Probat hâc diſputationem Vir ſummus, Dn. Carpzov. *in aſylo debit. cap. 1. n. 324 & cap. 2. n. 103.*

tionis contractû nequaquam immutat, aut perimit. *Conf. Tulden. in Com. C. de uſur. n. 5. Knipſchild. Exercit. 8. de contractib. quæſt. 5. cum his, quos ibidem copiosè allegat.* Unde ipſe etiam Cujac. *in tit. C. de reſcind. vend. pag. 374. D.* veram emtionem in hoc negotio agnoſcit, adeoque hinc concludit & infert. legi 2. C. d. t. locum in emtione redituum, nullum eſſe relinquendum.

II. Imò, inquit Salmaſius, *ille, cui hoc pretium pro reditu traditum fuit* (hoc eſt venditor) *adeò ſuum illud non facit, ut pro eo penſionem ſolvat: At, nemo pro re ſua quicquam alteri præſtat penſionis aut mercedis.* Reſpond. (1) Et hoc argumentum ſimplicem alienationem confundit cum reſpectiva: Et rem abſolutè ſuam cum ea, quæ eſt certa lege tradita ſub cenſu, quem vocant reſervativo: Quanquam (2.) nec hoc in jure abſurdum ſit, ut pro re, certo modo ſuâ quis penſionem ſolvat, ut in bonis emphyteuticis (de quibus Canones) feudalibus (de quibus ſervitia) ſuperficiariis (de quibus ſolaria præſtamus) manifeſtarium eſt. *adde l. 10. de pollicit.* Imò in contractu cenſitico, tàm utile quam directum Dominium, atq; adeò omne jus cenſiticum in re transfertur, nihilque apud dominum remanet: Et tamen cenſita cenſum antiquo domino inferre tenetur. *Poſt Bartol. in l. 1. §. 4. de publican. & vectigal. n. 4. Menoch. 3. præſumt. 106. n. 1. Hartm. Piſtor. obſervat. 95. n. 5.* Denique (3.) cauſa immediata redituum, cenſuum & penſionum, non eſt pecunia ſeu pretium: ſed Jus percipiendi per contractum jam conſtitutum. *v. Martinum de cenſibus, cap. 3. n. 157.* id quod mercem venditam in hoc negotio repræſentat. *Carpzov. 5. reſponſ. Electoral. 97. n. 1. & lib. 1. Reſponſ. 107. n. 7. ibi pretium in pecunia, merx in reditibus verſatur. adde conſult. Buſii de jure redituum, quæ ſubjecta eſt libro 2. de ann. redit. p. 224.*

III. Pergit ille ad mercem ipſam: *In emtione,* inquit, *dominium mercis perpetuò & irrevocabiliter tranſit in emtorem: Hic verò reditus, quem emi, quotieſcunque venditori libuerit,* à me *aufertur, pretio reſtitutò.* Reſp. (1.) falſum eſt, hoc omni venditioni eſſe eſſentiale, ut merx ſit irrevocabilis: Cùm venditio ſub Lege redimendi facta, toto Jure ſit celebratiſſima *l. 2. & 7. C. de pact. int. emt. ac vendit. comp. l. 12. de præſcr. verb. Berlich. 2. concluſ. 1. &* 2. (2.) Diſtinguendum inter Jus ipſum percipiendi, & penſiones

jam

jam perceptas. Iſtius enim ſummæ, quam emtor ex reditu quotannis percipit, irrevocabiliter fit Dominus, *poſt Gail. & Rauchb. Carpz. d. conſil.* 107. *n.* 15. (3.) Nec argumentum hoc ferit omnem reditum: dupliciter enim ſolet is conſtitui, indeque duplex ac diſtinctum nomen: Unus enim dicitur *cenſus reſervativus*, cùm Dominus rem ſuam ſeu pleno jure ſeu quoad utile dominium tantùm in alium transfert, reſervato ſibi certo reditu annuatim ab accipiente præſtando: Alter dicitur *conſtitutivus ſeu conſignativus*; cùm Dominus rem ſuam quidem retinet: ſed tamen Creditori jus annui reditus petendi ac percipiendi in ea conſtituit ac conſignat. Ex omnibus ergò argumentis iſtis hoc tantùm conficitur: Contractum iſtum non eſſe emtionem propriè dictam; ſed duntaxat analogicam. *Hottom. d. l.* 2. *Obſ.* 15. *Quod ſanè nihil eſt aliud, quam perpetuum committere paralogiſmum dicti ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.*

*V. D. Franzk. de laudemiis. c.* 10. *n.* 30. *& ſeqq.*

IV. Ultimam iniquitatem & inæqualitatem petit Salmaſius à diſtrahendi modo: *Iniquum* enim *ipſi videtur, ut venditor habeat reluendi facultatem; emtor non æque recipiendi, ubi libuerit, pretii ſui.* Reſp. nulla hîc ſubeſt iniquitas, cùm contractus iſte celebrari debeat ad juvandam & ſublevandam debitoris (& venditoris) inopiam *l. ſi cum venderet.* 13. *de pignor. act. & d. l.* 2. *de pact. int. emt. & vend.* itaque ſicubi is ad pinguiorem fortunam fuerit reverſus, ut rem ſuam reluere queat, quæ invidia eſt illi hoc denegare. *Conſ. quæ in ſimili de jure offerendi ac reluendi tr. Dd. in l. ult. C. de pignorat. act. Weſenb. in parat. de reſcind. vendit. n. ult. Geil.* 2. *Obſ.* 18. *Berlich.* 2. *concluſ.* 2. *n.* 80. *Adde c. ult. §. ibi: qui ſi venerit intra annum. Vt lite non conteſt. non proced. ad teſt. recept. vel ad ſent. definit. c. pen. ext. de dolo & contum. c. ult. & t. t. ext. Qui mitt. in poſſeſſ. cauſ. rei ſerv. adde* 2. *feud.* 22. *ibique Cuj. Col. l. A de dam. inf. th.* 22. *in f.* (2.) cum lex iſta conventioni ab initio præfigatur, ut emtor (qui creditoris loco eſt) redituum, ſeu penſionum talium, annuatim ſibi inferendarum à venditore, pretium det venditori, nec habeat facultatem ejus repetendi: ſed ut relinquere cogatur pecuniam penes Venditorem (qui debitoris loco eſt) quamdiu is ſolvit & infert penſiones: Sanè non habet emtor, quod conqueratur de lege, cui ſe ſponte ſubmiſit. *per l.* 1. §. 6. *depoſ. l.* 11. §. *conditio.* 5. *de Inſtit. act. c. cum dilect.* 22. *ext.*

*de reſcript. Geil. 2. Obſ. 24. n. 6.* (3.) Atque adeò ex ipſa hac abdicatione condictionis, ſeu renunciatione facultatis repetendi, bonam partem defenditur æquitas annuorū redituum. *Maſtert. lib. 1. de juſtit. Roman. leg. cap. 20. n. ult. P. Buſius lib. 1. de annuis redit. c. 8. n. 9. & cap. 13. n. 3. & fuſius lib. 2. c. 11.* (4.) Econtrariò, niſi hæc lex adderetur, fieret Contractus iſte uſurarius, cùm eo caſu non tàm emtioni, quàm mutuo negotium reſponderet, & proinde acceſſio uſurariam pravitatem contineret. *poſt. Sotum & Covarruv. Gail. 2. obſ. 7. n. 14. Theod. DanckWerth, noſter, de annuis reditibus. θ. 25.*

V. Mille aliis cauſis quas ſupereſſe Salmaſius ait, confutandæ talis inventionis abſurditati, jam dudum ab aliis quoque occurſum eſt: *v. contra Friderum Mindanum*, Fridericum Martinum, *de cenſibus, cap. 3. n. 143. & ſeqq.* Pacium *ad l. 10. C. de uſur. n. 9. ubi Cujacium nominatim refutat.* Eundemque iterum Pacium *ad l. 10. C. de uſur.* Manzium *1. prælud. 1. Geil. 2. obſ. 7. n. 8. & ſeqq.* Borcholt. *de uſur. cap. 4. ubi differentias inter uſuras & reditus aſſignat: & inprimis eam quòd emtor (ſeu Creditor) hoc caſu fructum non ex re aliena; ſed propria percipiat.* P. Buſium, *lib. 1. de ann. redit. c. 8. ubi n. 4. quinque differentias recenſet.* (1) à formali cauſa: *quod mutuum re contrahatur: Emtio iſta conſenſu.* (2) à finali, *quod mutuum unius cauſâ contrahatur: Emtio redituum utriusque gratia celebretur.* (3) ab Effectu: *quod in mutuo ſolus accipiens obligetur: hic uterque:* (4) *quod mutuum ſua* natura *ſit gratuitum: Venditio autem redituum non ſit gratuita; Siquidem reditus ſolvantur pro pretio quo eas exigendi jus comparetur.* (5) Adjunctis *proprietatibus: quia in mutuo pecunia ita detur accipienti, ut creditori petenti eadem, genere, quantitas reſtituatur: Redituum verò venditione agatur id; ut emptor redituū pretium nunquam recipiat.* Adde ex Theol. Pontificiis Becanum, *operum Theologic. tom. 2. q. 78. p. 1114. poſt Sot. de juſtit. lib. 6. q. 5.* Navarr. *de Vſur. §. 22. n. 72. & ſeqq.* Molin. *de juſtit. tr. 2. diſp. 389. & ſeqq.* Ex noſtris, D. Lutherum, *p. 2. oper. German. de Anno 1523. pag. 275. b.* D. Hunnium, *in epiſt. 2. ad Corinth. cap. 8. pag. 341. verſ. jam verò, ibi: centum florenis à proximo tuo emis quinque florenos, quotannis tibi pendendos,* eâ pactione, ut dominium centum florenorum abs te planè tranſeat, nec tibi liceat in æternum repoſcere; Econtra verò venditori, qui tibi annua-

bi annuatim quinque florenorum cenſum pendit, integrum ſit, quovis tempore ſummam illam capitalem, uti vocant, tibi reponere, ſuamque illam penſionem annuam ad ſe revocare. Unde vulgo contractus emtionis dicitur Germanicè ein widerkäufflicher Zinß. Quem contractum legitimum eſſe, nemo ferè quisquam hodiè ambigit, præter Anabaptiſtas, qui alioquin rerum dominia ſuo quodam errore convellunt. *Hæc Hunnius.* Balduin. *lib. 4. de C.C. cap. 3. caſu. 4. p. 942. inprimis n. 5. ubi ſic ſcribit: Quemadmodum agrum elocare poſſum, & à colono propter perceptionem fructuum certam pecuniam aut aliquot frumenti modios quotannis petere:* Ita & pecuniam diviti elocare, & ab eodem ob lucrum, quod ex ejus uſu percepit, compenſationem aliquam expectare poſſum. Nulla enim ( *conf. in contrarium articuli* 1. *§. 6. & artic. 4. §. 5. in f.* ) inter agrum & pecuniam elocatam, hoc in genere, eſt differentia. Sic ob certam pecuniæ ſummam mutuò datam, agrum aliquem hypothecæ loco mancipare & fructus creditori, loco annui intereſſe, ut vocant, concedere, jura permittunt: Cur ergò injuſtum ſit, agrum & fructus retinere, & loco intereſſe annui, ob pecuniam elocatam certam aliquam penſionem ſolvere? *Hæc Balduinus.* Conſonat Marioti ( Advocati Gallorum Regis generalis) egregia ſententia apud P. Mattheum *lib. 4. hiſtor. narrat. 4. n. 6. pag. m.* 143. ubi denique concludit: Optandum eſſe, ut omnes uſurariæ pravitates exulare juberentur à Rep. Chriſtiana, & tantùm retineretur, jus redituum fundalium ( la ſeule rente ) quod Conſtitutionibus Principum & Pontificum permiſſum ſit: §. Veruntamen horum omnium deciſiones atque ſententias hactenus tantum noſtras facimus, *quatenus Legulationem in ſuis terminis conſiſtentem, tuentur* : ( quatenus annui reditus Conſtitutionibus Principum & Bullis Pontificum approbati ſunt: ) non quatenus ex in infinitum producuntur & fœneratorum quoque artibus patrocinium præſtare coguntur. *v. Coll. Iur. Arg. de contrah. emp. θ. 67. n. 3. & Cujac. in recit. C. de reſcind. vendit. pag. 374. D. ubi ait: unicum tantùm eſſe de emtione redituum in Iure noſtro ( civili) locum, nempe d. Nov.* 160. Sanè an jus annuorum redituum, in illa uſurpata & nimium producta latitudine, ex his rationibus, quæ ſupra *art.* 1. *hujus partis §. 4. & ſeqq.* allatæ ſunt, ſatis fortiter defendi queat, valdè ambigimus,

*Alÿ addũt l. ult. C. de rer. permut. & D. Franzk. d. lo. n. 31.*

 bigimus,

bigimus, cum reſpectus perſonæ & conditionis debitoris æque in cenſibus ac in uſuris obſervandus ſit: ac tum argumenta ea uſuris quoque ſine magna diſcrepantia ac difficultate queant applicari.

## ARTICULUS VI.

*Concluſionem, cum aſſertione ulteriore primæ limitationis (quod alterius tanti exceptio, in reditibus annuis civitati debitis, ceſſet) continet.*

I. QUicquid autem de annuis reditibus inter privatos conſtitutis poſtremis iſtis temporibus placuerit v. inf. art. 8. (nolumus enim cuiquam hac de re litem movere; cùm non de conſuetudinis, ſed legis poteſtate hâc vice diſputemus, *ut ſupra artic. 4. th. 12. & ſeqq. ſemel iterumque ſumus proteſtati: conf. Parlador. lib. 2. rer. quotid. cap. ult. part. 5. §. 17. n. ult.* relatione nuda problema illud invidioſum mox abſoluturi: *d. art.* 8.) firma interim manet prima hæc limitatio; quod diſpoſitio Juſtinianea de altero tanto *non procedat in reditibus annuis Civitati debitis.* Quam limitationem ut claro textu fundatam eóque præcipuam non debebat prætermittere Berlich. 1. *Deciſ. 30. illa enim quam n. 5. ſubjicit nimium generalis & incerta eſt. v. inf. art.* 8. Maximè, cum & Gothofredus Synopſin hujus Conſtit. in ipſo tit. C. de uſur. l. ult. retulerit: Synopſ. Baſilicon fretus auctoritate.

II. Conducit ad aſſerendam & firmandam hanc limitationem epigraphe ſive titulus hujus Novellæ 160. qui é Bibliotheca MS. Gall. Reg. repræſentatus eſt, hunc in modum: *De pecuniis & uſuris Civitatum*: Cum in Græca Scrimgeri editione tantùm hæc habeatur inſcriptio: ἴσον θεῖν πραγματικῶν τύπων: Satis enim indicatur in d. Novella, Imperatorem hoc tribuere favori Reipublicæ, ne illi legata & pecuniæ ſuæ depereant, nullive ſint uſui: quod facilè contingeret, ſi hic etiam, quemadmodum in uſuris, duplo finirentur ac ſiſterentur annuorum redituum præſtationes, *quæ verba ſunt Rittershuſii part. 3. Novell. cap. 9. n.* 18. Quorſum & illud axioma Imperatoris pertinet, quo conſtituit: oportere Imperatorem ex æquo curam gerere civitatum, ut rerum fiſcalium.

III. Neque tamen eſt, quod Civitates Jus talionis metuant,

671

ant, *arg. t.t. Quod quiſque Iur. l. pen. de Solut. Aleman. conſult.* 8. *quæſt. princip.* 6. *pag.* 808. *Cothmann.* 1. *reſp.* 34. *n.* 154. ne ſcil. annui reditus à civitatibus privatis creditoribus debiti, ultra alterum tantum à debitricibus civitatibus exigantur: Quia novum in Jure non eſt, ut plus Juris tribuatur civitatibus quàm privatis: *aiente Rittershuſ. d. cap.* 9. *n.* 18. *& ex eo, more ſolito M. Stephan. ad Novell.* 160. *n.* 7. Ita, v. gr. expollicitatione (quam Vir incomparabilis, *in tr. de modo uſurarum. c.* 7. *p.* 282. Contractibus bonæ fidei annumerat: *verſ. pollicitatio autem ut bona fidei contractus*: idque tanquam ſingulare ἀξιομνημόνευτον in Indicem quoque operis retulit) obligatur quis civitati ad præſtandam pecuniam, vel ad opus faciendum, quod ipſi promittit. *ut eſt in tit. de pollicitat.* cùm aliàs nemo, exceptâ cauſa dotis, obligetur homini privato ex nudo pacto, vel pollicitatione. *Ita Rittershuſ. & Stephan. dict. loco.* Ad eundem modum uſuræ ex nudo pacto debentur civitatibus, *l.* 30. *de Vſur.* Quæ aliàs ne quidem in b. f. judiciis, *ex nudo pacto*; tantoque minùs in ſtricti juris judiciis debentur. *l.* 24. *de Præſcr. Verb. l.* 3. *C. de Vſur.* Alia exempla habent Gloſſ. & Rebuff. *ad l.* 1. *de V. S. D. Zahn in Ichnographia municipali cap.* 44. *& ſequentibus* & generaliter reſcripſit Imperator Alexander *in l.* 3. *C. de Iure Reipubl. lib.* 11. *tit.* 29. moris eſſe, Rempublicam, æque ut pupillã, extra ordinem juvari. *& in l.* 4. *C. ex quib. cauſ. maj. dicitur ea uti jure minorum. cap.* 1. *de in integr. reſtit. Bartol. in l. nulli. Quod cujusque univer. Iaſon.* 1. *conſil.* 118. *n.* 2. *Gail.* 2. *obſerv.* 62. *n.* 4. Nec adverſatur huic enunciato, quòd alibi civitates, præſertim inferiores, privatorum loco cenſentur. *l. eum qui vectigal.* 16. *de V. S. Gail.* 2. *obſ.* 7. *n.* 8. Id enim verum eſt, quoties civitates municipales cum ipſa Republica ſeu civitate Rom. comparantur: tum enim publici appellatio reſpicit tantùm ad populum Romanum. *l.* 15. *de V. S. Gœdd. ad l.* 16. *d. t. n.* 4. Aliud autem eſt, ſi agatur de jure civitatum abſolutè ſpectato, aut comparatione cum cauſis privatorum inſtituta: tum enim illis æque ut ipſi Reipubl. Rom. plerumque ſuccuritur, *l. legatis* 8. *Ex quib. cauſ. maj. Cujac. ad d. l.* 16. Eaque fortè de cauſa, in facto inferius articulo 8. comemorando, Monaſterium N. poſt exſolutionem alterius tanti, haut invitâ Iuſtiniani Juriſprudentia, à perpetuanda redituum exſolutione, ſe excuſavit.

IV. Ad-

IV. Addendum & hoc eſt ad objectionem ex L. 1. & t. t. *Quod quiſque Iuris* deſumtam: loqui eam de impetrato quodam Jure novo, id eſt iniquo *l. 3. d. t.* aut injurioſo. *l. 1. §. ult. eod.* At conſtitutio Novell. 160. diverſa potius & ſpecialis dicenda eſt, quàm nova & iniqua. Quod enim dicimus in Republ. quoque obtinere, ut ſi illa debitrix ſit, uſuræ ſupra alterum tantum ab ea non exigantur: Id Juris communis & regularis eſt: Iſtud autem, ut Reipubl. creditrici annui reditus in infinitum (donec redimantur) currant, eſt Jus ſingulare, & privilegium civitatibus tributum, adeoque non trahendum ad conſequentias. *l. pen. de reb. cred.* Utique quod lege permittente, aut ex ſingulari beneficio alicui contingit, non eſt ita interpretandum, ut in pœnam aut detrimentum proviſi recidat. *arg. l. 4. C. ad L. Iul. de ad ult. l. Paulus 8. de Prætor. ſtipul.*

V. Ad eundem modum Eccleſia Debitrix gaudet beneficio Novellæ 120. cap. 6. §. 2. adverſus creditores ſuos: At, è contrario Debitores Eccleſiæ non utuntur eadem exceptione adverſus Eccleſiam; ſed coguntur eſſe contenti beneficio communi. *Novell. 4. cap. 3. ubi vide M. Stephan. n. 36.* Ita in exemplo congemino, *l. etiã ex nudo. 30. de Vſuris*, Civitatibꝰ etiam ex nudo pacto uſuræ ab eis creditarum pecuniarum debentur, quamvis nullo ſuſcepto periculo. *uti d. 6. 3:* Nec tamen vice verſâ, Civitas debitrix ex nudo pacto ad uſuras obligatur. *Raguel. ad l. 26. §. ſuper. C. de Vſur. pag. 250. per l. 3. C. de Vſur. l. 24. de Præſcript. Verb.* fac. Novel. 39. cap. 1. ibi: ea, quæ communiter omnibus proſunt, iis, quæ ſpecialiter quibuſdam utilia ſunt, præponimus.

## ARTICULUS VII.

### *De Extenſione Novellæ 160. ad cauſam uſurarum civitati debitarum: quod nec in uſuris civitati debitis, Reip. creditrici obſiſtat alterius tanti exceptio?*

I. HÆc quoque ad pleniorem Novell. 160. intellectum pertinet diſquiſitio: an nimirum id, quod de reditibus annuis ibi diſpoſitum & civitatibus indultum eſt, ad uſuras quoque referri queat? Ut nempe pecunia à Civitate fœnori locata pactas uſuras itidem ſine ulla temporis præfinitione (phraſi Salmaſiana) pariat;

na) pariat; an verò in uſuris ſecus ſit dicendum; & ubi uſuræ ad alterum tantum aſcenderint, tota obligatio extinguatur?

II Affirmativam ſententiam fovet ac propugnat Pacius, *in Anal.* C. *de uſur.* §. 3. *ibi, hæc definitio (de altero tanto) neque in annuo reditu locum habet, neque in pecunia Reipubl. debita.* Idem ſentire videtur Joach. Stephani *in not. ad d. Novell.* 160. *ubi ait: præmiſſa Iura & Novellas (de altero tanto) potiſſimum ad privatos debitores & daniſtas pertinere: non autem ad univerſitates, [ut puta, civitates, collegia, Eccleſias & corpora alia] extendi, quibus ex ſingulari publicæ cauſæ favore ſemper* uſurę currant, *non attenta quantitate dupli ſortis.* Col. I. A. *tit. de uſur.* θ. 23. *n.* 2. *ibi: ſed hoc (ut uſuræ deſinant deberi, ſi ſortem æquaverint) non procedit in uſuris pecuniæ municipalis.* Rationes A.

III. Poterat equidem aſſertio iſta validiſſimo argumento vocari in dubium, ex ipſo cap. 1. d. Novell. 160. petito: ubi Imp. rationem diverſæ deciſionis & differentiæ, [hujus inquam, conſtitutionis poſterioris & ſuperiorum de altero tanto loquentium] in eo collocat: quod præſens ſpecies illam non attingat: ſiquidem hoc negotium (quod in Novell. 160. occurrebat) magis annuo reditui, quàm uſurarum præſtationi ſimile videatur. Unde colligere in proclivi eſſet, etiam in uſuris civitatum aliud dicendum fore. Quomodo hæc verba etiam inducit Gudelin. *de Iure noviſſimo. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 39. & Pacius ipſe *in Comm. ad l.* 10. C. *de uſur. n.* 9, *quem verſum mox integrum referemus.* Et ita in cauſa cujuſdam Hoſpitalis deciſum fuiſſe Jenæ Anno 1620. M. martio, refert Dn. Richter 2. deciſ. 74. n. 88. pag. 129. Uſuras ultrum duplum ſ. alterum tantum, ne quidem ab Hoſpitali, creditoris partes ſuſtinente, poſſe exigi: ibi: Daß das Hoſpital zu N. von außgeliehenen Zinßgeldern/ bey einem Bürger vnd ſeinen Erben/ über das alterum tantum vnd über 20. Jährige Zinß/ keine ferner zu fordern befugt; Sondern was es darüber in 50. Jahren/ vnd alſo mehr den das duplum eingehoben/ wieder herauß zugeben ſchuldig. Et neg.

IV. Quia tamen hæc ratio potius ad reſpondendi quàm decidendi cauſas pertinet, *ut paulò ante indicatum, & infra iterum monebitur*: videamus, an affirmativa ſeqq. rationibus poſſit ſuffulciri. *Initiò* quidem urgere poteramus titulum, quem No- Cum deciſ.

vella iſta in Indice reginæ habet: *de pecuniis & uſuris Civitatum*: Itemque illum quem vulgata repræſentat: *Exemplum ſacræ Pragmaticæ formæ, de uſuris.* Sed quia iſta vox in Græco non habetur, & aliàs incertæ ſunt autoritatis Novellarum inſcriptiones; huic fundamento non inſiſtemus. *Illud* magis facit, quod in præfat. Imp. his verbis utitur, perinde eſſe, ſive quis id pactum, reditum *ſive uſuram* appellare velit: tametſi enim ea verba pars ſint narrationis, non deciſionis: Quia tamen in ipſa ſanctione & deciſione generali Imp. utitur verbo penſionis, non refragabimur his, qui Reipubl. fœnori velificantur. Nam & Græcum τέλος, aliquando generaliter uſurpatur, nec vectigal tantùm aut tributum, ſed alias quoque præſtationes, aliquando deſignat. *v. Gothofred. ad l 7. ibi omnis fructus rei. de uſufruct.*

*Q. de Hoſpitalibus & Xenodochiis?*

V. Quod ſi favorem civitatum ad Eccleſias generaliter & abſolutè loquendo, producimus; *per ea, quæ ſub finem articuli ſequentis diſputabuntur*; Cur minus favebimus hoſpitali? Licet enim Xenodochia aut ptochotrophia propriè non veniant nomine Eccleſiarum aut Clericorum. *clem. per literas. 2. ubi diſponitur; Literas ſuper proviſione Clericorum à ſede papali emiſſas, non includere Xenodochia, leproſoria, eleemoſynaria, hoſpitalia. de Præbend. Rebuff. in tr. nominat. quæſt. 9. n. 8. & quæſt. 15. n. 12. Valaſc. conſil. 105. n. 31. Rota. deciſ. 668. n. 1. apud Farinac. in c. 1. collect. noviſſim. alias parte 4. diverſ. D. Walther in Eunomia metatorum cap. 15. §. 122.* Dicuntur tamen loca pia & religioſa. *Clem. quia contigit. verb. pia loca. de Religioſ. Domib. l. illud. 19. ibi vel in ſanctam Eccleſiam vel Xenodochium. C. de SS. Eccl. Alexand. 2. conſil. 209. n. 1. Menoch. 4. præſumpt. 115. n. 4.* Et tanquam talia gaudent privilegiis Eccleſiarum *l. omnes 33. §. privilegiis 7. l. omnia 35. C. de Epiſc. & Cler. Menoch. remed. recuperand. 15. n. 23. Cæſar. Contard. in l. diffamari C. de Ingen. manum. cap. 3. n. 59. & 86. Trentacinq. 1. var. reſolut. 4. n. 1. Florez Diaz de Mena. lib. 2. variar. quæſt. 21. §. 4. Meichſn. tom. 2. lib. 1. deciſ. 6. & 43.* Maximè cum & hic rationes noſtræ *Nov.* 160. militent, & Reip. interſit; ne Xenodochiis legata depereant, & pauperibus calefactiones ſuæ, ut ſic dicam, h. e. fomenta & alimenta, quæ exinde ſumi ſolebant, extinguantur.

ARTIC.

673

# ARTICULUS. VIII.

## De Extenſione Novellæ. 160. ad reditus annuos, Privatis debitos, ſive

## DISPUTATIO

### *An reditus annui creditoribus privatis etiam ultra alterum tantum debeantur?*

Ex variis aliorum Opinionibus per modum ſimplicis relationis concinnata: Salvo ſemper meliore calculo.

I. DOcuimus hactenus Imperatoré *in Nov.* 160. diſertè & nominatim de Civitatibus diſpoſuiſſe, & ab eo adductas rationes præcipuè niti favore Reip & ejuſdem utilitatem atque conſervationem reſpicere, quod vel ipſa conſtitutionis perlectio, cum cura & attentione inſtituta, omnibus reddit quam manifeſtiſſimum, *fatente D. Carpzovio in aſyl. debit cap.* 1. *n.* 332. *verſ. nec inficiari.* Nihilominus reperiuntur ex Interpretibus, qui reditus annuos, ubicunque tandem admiſſos, etiam inter privatos conſtitutos, privilegio perpetuitatis & exemptionis à LL. de altero tanto caventibus, gaudere arbitrantur.

II. Sic enim ex communi Pragmaticorum ſententia decidit *Berlich.* 1. *deciſ.* 30. *n.* 5. *ſcribens*: Si quis annuas penſiones, cenſus & reditus emat, ut pro centenis aureis ex fundo aliquo vel domo, ſingulis annis ſolvantur cenſus, vel penſionis nomine quinque aurei, emtio ejuſmodi, (ſive reditus conſtituantur in pecunia, ſive in frumento, ſive aliis rebus) bene valet, ac cenſus illi ſolvi debent, etiamſi poſt multa annorum curricula, excedant pretium, & alterum tantum ſuperent. Ex authoribus laudat Gailium & Mindan. *locis ſupra adductis.* Experientiam vero teſtatam adeo & notam eſſe prædicat, ut præjudiciorum allegatione non opus eſſe exiſtimet. Adde D. Carpz. 3. *Conſtit.* 24. *defin.* 19. *n. ult.* & 4. *Conſt.* 6. *reſp.* 48. *n.* 6. *Sententia Negantiũ.*

III. E Theoreticis etiam non pauci idem docent; Inprimis

mis *Iulius Pacius*, diſertè negat favorem Civitatum ſpectandum eſſe. Sic enim *in comment. ad l. 10. C. de uſur. n. 9.* abſolutè ſcribit & loquitur *pag.* 731. Illud non eſt omittendum, annuos teditus longe differre ab uſuris, ideoque deberi etiam ultra duplum: Imò in perpetuum, donec ſors apud debitorem maneat. Ita enim Juſtinianus conſtituit Nov. 160. Et quamvis ibi loquatur de Republica, & aliquo modo conſideret etiam favorem Reipubl. Tamen præcipuè nititur diſtinctione annui reditus & uſuræ; nec vult eum terminum dupli obtinere in annuis reditibus, ut in uſuris. *Hæc Pacius.* Qui ſolam in objecto; nullam in ſubjecto differentiam admittere videtnr.

*Sententia affirmantium.* IV. Enimvero, Juſtinianei, hanc ſententiam ex analyſi præmiſsâ, manifeſtè refelli arbitrantur, nec convenire naturæ & qualitati hujus conſtitutionis, quæ tanquam privilegiaria & exorbitans minime trahenda ad conſequentias; aut extendenda ſit ratiocinatione *l. 32. ibi: quicquid hac lege ſpecialiter non videtur expreſſum, id veterum legum, & conſtitutionum regulis omnes relictum intelligant. C. de nupt. l. 1. de Conſtit. Pp. l. 3. C. de compenſat. Forſter. lib. 2. Interpret. cap. 2. n. 4. & ſeqq. Decius 1. conſil. 1. n. 369. ubi ait; Correctoriam diſpoſitionem nunquam extendi. Everhard. in comment. ad l. Rufinus 4. C. de militar. teſtam. n. 9. Marpurgenſes 1. conſil. 32. n. 33.* Maximè cum pleræque decidendi rationes in privatis deficiant; *Eberhard. in loc. à ratione legis larga 79. n. 39. & ſeqq.* Et fruſtra alias futuri fuiſſent Pontifices Martinus & Calixtus, qui conſtitutionem hanc tanto conatu ad Eccleſiaſtica quoque corpora traduxerunt; Si jam tum diſpoſitio hæc omnibus ex mente Juſtiniani, promiſcua fuiſſet, communis aut vulgata. Adeoque, ſi maximè alibi conſuetudo privatis etiam fœneratoribus uſum annuorum redituum indulgeat; Illos tamen quoque reditus moderationi & determinationi legum merito relinquendos eſſe Juſtinianei exiſtimant.

V. Nobis pluſquam invidioſum funeſtumque fuerit, tantas ſcholæ forique lites componere: Interim, quia in hanc arenam juſtis rationibus protracti ſumus, diſceptationes aliorum ulteriores porro referre non pigrabimur, judicium ſuperioribus meritò relinquentes. Audiemus autem primum ſcholam affirmantem; deinde forum negantem: Et denique æquitatem

tatem variis diſtinctionibus æquilibrium quoddam meditantem; Sic ergo Juſtinianei porro perorant.

VI. Grave, inquiunt, monitum extat JCti Celſi, de his, quæ non ratione introducta, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtinuêre; Scil. ea in aliis ſimilib. neqnaquã obtinere *l. quod non ratione 39 de LL. jung. l. 13. §. ult. de Injur. & famos. libell. l. quod vero contra 14. de LL. Bachov. in comment. ibid. p. 136.* Et conſuetudinem juri contrariam, in judicio non eſſe attendendam, monetur *in cap. ſeries 26. de teſtibus.* *Rationes affirmandi, ſchola.*

VII. Cujac. *lib. 1. quæſt. Papin. in l. 1. de off. ejus, cui mand. eſt Iurisd.* in hujus *l. 39. de LL.* mentionem incidens, ſcribit: Se diu quæſiviſſe conveniens aliquod hujus regulæ exemplum (neq; enim arriſêre viro graviſſimo nugatorię gloſſę *ad d. l. 39. hypotypoſeis* de cõſuetudine Bononienſi, vel Corraſij & aliorum ad *d. l. 39.* aliena plane *παραδείγματα ex l. 3. §. ult. de ſuppell. leg. & l. injuriarum 13. §. ult. verſ. uſurpatum. de injur.*) denique convenientiſſimum inveniſſe *in l. ſolet. 6. pr. de offic. Proconſ. junct. d. l. 1. §. 1. de offic. ejus cui mand. eſt Iurid.* Quos textus haud dubiè eo etiam fine dictæ *l. 39. de LL.* conjungit C. J. A. *in tit. de LL. θ. 20.* Etenim non ratione inolevit (inquit) ſed primum errore obtinuit, ut Proconſul Legato mandaret quæſtionem publici judicij, ſive cognitionem cuſtodiarum; deinde ita plane mandare ſoliti ſunt. An ergo dicam & cæteras cognitiones, quæ Proconſuli lege dantur, poſſe Proconſulem mandare legato, veluti cognitionem de tranſactione alimentorum, cognitionem de Domino à familia occiſo, cognitionem de minorum prædiis diſtrahendis? Minime. Eſt tamen argumentum Jdoneum; Si poteſt mandare Legato cognitionem criminum, cur non & cognitionem Civilis rei, quamvis & hæc & illa detur lege ſpecialiter? Sed errorem nunquam producimus in conſequentiam *d. l. quod non ratione 39.* Conſiderandum enim è contrario, quod ait *l. aliud 131. de V. S.* Eum pœnã irrogare poſſe, cui hujus criminis executio data eſt. Is enim, cui cognitio ſeu quæſtio & inquiſitio ſola data eſt, non poteſt pœnam irrogare: Propterea in *l. 1. C. ubi cauſ. fiſc.* cui licebit pœnam irrogare (h. e. qui habuerit merum imperium, quod L. datur) etiam licere dicitur, quod per L. licet, ut indicat oratio pro Balbo. *Hactenus Cujac. pag. 15. lit. C. & D.* *Ad l. 39. de LL.*

VIII. Juſtinianei, qui ſtrictius verbis & ſententiis Imperatoris adhærent, arbitrantur, problema, articulo quarto th. 5. & 7. obiter deſignatum, & nunc uberius diſcutiendum, exemplum valdè luculentum deviationis à præſcripto & regula *l. 39. de LL.* ſuppeditare. Sic enim, in iſto quoque articulo, non ratione primum conſtitutum & introductum, ſed errore admiſſum, ac veluti extortum fuiſſe ajunt ab invitis LLatoribus aut Reip. præſidibus (quemadmodum alias male vivendi conſuetudo paulatim morem facit; *Lactantio lib. 5. teſte*) ut redituum annuorum licentiam quibuſque privatis indulgerent; Itaque extortam iſtam conſuetudinem non fuiſſe eo pruducendam, ut juris communis exceptionem, à qua tantum Civitates ſpeciali Novellæ 160. proviſione liberatæ eſſent, plane perimeret. Aliàs contra certorum juris principiorum & regularum prohibitionem, ſingularia ſingularibus, exorbitantia exorbitantibus cumulari. *vid. Tiraquell. in l. ſi unquam 6. C. de revocand. donat. verb. donatione largitus n. 167. Pruck. 1. Conſil. 10. n. 69. Berlich. 2. deciſ. 216 n. 6. qui omnes prolixe docent, duo vel plura ſingularia circa unam rem non poſſe concurrere, Et, duo exorbitantia in una eademque re non eſſe toleranda, per not.* Bald. 2 *Conſil. 275. n. 9. verſ. porro.* Erneſt. Cothman. *5. reſponſ. 1. n. 451. Dd. communit. in l. 1. C. de dot. promiſſ. per illum textum Ioh. Sand. lib. 3. deciſ. Friſic. tit. 15. defin. 2. p. 335. lit. a.* Atqui ſingulare hoc *unum* eſſe, dictitant; quod redituum annuorum conſtitutio privatis quibuſque vulgata ſit; E. non fuiſſe cumulandum *alterum*, ut exceptio alterius tanti etiam hic aboleretur & excluderetur.

IX. Et cum (ſecundo) ipſi diſſentientes fateantur, beneficium id particulariter civitatibus & Eccleſiis indultum fuiſſe, ap. *Dn. Carpz. in aſyl. debitor. cap. 1. n. 332.* Subſumunt ilico: Ad privatos ergo tam ſingulare beneficium contra mentem Imperatoris nequaquam eſſe trahendum per *can. 74. ibi. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi ab aliis non debet in exemplum. de R. I. in 6. & text. ſimil. M. Stephani ad Nov. 4. cap. 3. n. 37.* maximè cum (Tertiò) ſingularis illa ratio, quæ diſpenſationem in cauſis publicis & Eccleſiaſticis admittit, neutiquam in cauſis privatorum militet, quippe qui ſuo labore, curâ & advigilatione domeſticis neceſſitatibus poſſint providere *v. art. 4. th. 5. med.* Temerarium

675

merarium enim id in jure haberi, ut ſua authoritate quis præſumat, quæ ſuprema Majeſtas, certa ratione inſpecta, alicui corpori, ut Univerſitati, ſingulari beneficio voluit indulgere, per text. can. ſane 9. de Privileg. §. 6. de I. N. G. & C.

X. Regerunt equidem Viri Magni, (*quod & ſupra* §. *3. indicavimus*) permiſſionis iſtius rationem: communem eſſe, nec tam favorem civitatum, quam differentiam inter uſuras & annuos reditus in Novellæ 160. pro ratione permiſſionis induci; quæ ſanè utrobique, nempe in cauſis etiam privatorum redituum militet, *ap. Dn. Carpz. d. l. poſt Pacium ſupra* §. *3. laudatum.* At verentur Juſtinianei, ne ſic ratio *decidendi* cum ratione *reſpondendi* confundatur. Etenim (1.) ratio decidendi præcipua Imperatoriæ diſpenſationis & proviſionis haud dubiè poſita eſt in illis verbis: *ne quando pecunia legata Reipubl. deperiret,* vid. ſupr. *art. 2.* §. *3.* Et ſic legata Civitati ab hominibus in patriam propenſis, eo fine relicta, ut perpetuum præſtent civibus balneorum beneficium aut operarum publicarum ornamentum, temerè extinguerentur *d. artic. 2.* §. *8.* Quæ rationes privatorum deſideriis nequaquam conveniunt. Quin & (2.) ipſæ rationes reſpondendi manifeſtam differentiam in ſubjecto & objecto patefaciunt, *ut ex analyſi d. l.* §. *6. propalam liqueſcit.* Utique (3.) Imperatoris conſtitutio in Nov. 160. civitatibus peculiariter cavens, ſic otioſa plane redderetur; ſi ratione ſua communem omnium privatorum coemtionem redituariam vel ſola cogitatione complexa fuiſſet.

XI. Porro (4.) rationes illæ *publicæ utilitatis*, ab annuis Civitatum Eccleſiarum & aliorum locorum publicorum, collegiorum aut corporum reditibus, pravitatis uſurariæ ſuſpicionem unicè abſtergunt; Quod mantelum ſive velum, publicæ utilitatis, cum privatos deficiat, parum abeſt, quin in turpitudine illa, in quam eos ſummus N. Criticorum Princeps immerſit, relinquantur. Itaque modus, omnibus iſtis compendiis uſurariis circumpoſitus, non debebat à reditibus Privatorum tam facile removeri, *per notat. ſupr. part. 2. art. 5.* §. *6. p.* 101. Ubi ab incomparabili Doctore noſtro didicimus; Omnes pecuniarum acceſſiones, quæ certam habent à lege taxationem (qualem ſanè omnino reditus annui, ex recentioribus etiam juribus atque

moribus

moribus, puta 5. aut. 6. in centum annua determinatam habent) eas etiam dupli taxationem & finem habere *conſ. d. artic. 5. th. 8. p. 107.*

*Rationes negandi fori & Pragmaticorum*

XII. Nec movent Juſtinianeos iſta accuratè comparantes adverſariæ rationes, cum ſciant, rationibus aut ratiocinationibus Doctorum, jus ſingulare induci nec poſſe nec debere, *per not. in tr. de metat. p. 291. th. 9. & infr. hoc tr. artic. 6. th. 4.* add. Hunnius 1. *Diſp. Treutler. 6. quæſt. 38. D. Carpzov. 3. conſtit. 28. defin. 7. n. 5. Pac. in Anal. Cod. de privileg. dot. n. 9. verſ. 2.* Quin ad rationes quoque illas expeditam ſibi eſſe reſpondendi facultatem jactant. Nam quod Pragmatici (1.) objiciunt; *Vſuris modum poſitum* eſſe & terminum, *non etiam reditib. annuis*: quemadmodum aliæ quoque præſtationes annuæ, in infinitum deberi dicâtur. *Iacob. Venut. de annua præſtat. pag. 56.* Id jam ſupra *th. 10. f.* profligatum eſſe perhibent: Cur enim modi iſtius & termini repagulum *civitatibus ſorſim* ac peculiari diſpenſatione in annuis reditibus *laxatum* eſſet, ſi privatis etiam in infinitum pateret: maximè cum modum quantitatis in reditibus annuis etiam diſſentientes inculcent. *Gail. 2. Obſ. 7. n. 14. ibi: ne modus in conſtituendo reditu excedatur.* Venutus a. (ſive ut alij vocant Venentus) cum ijs quos allegat, de legatis annuis Eccleſiæ vel Univerſitati, nunquam interituræ, relictis loquatur: Cui adeò teſtator in perpetuum providere voluiſſe cenſeatur: Adeoque ſecus ſit in privatis. (2) Diſſentientes quidem *ampliùs* opponunt: pactum de non repetendo pecuniam, *emptori* præſcriptum eſſe; cum *creditori* ante 20. annum repetendi facultas concedatur: Ob quam diverſitatem æquum exiſtimant, illi qui repetere ſortem nequeant, reditus in infinitum procurrere. At Juſtinianei *reſponſionis loco* quærunt: Ecquis Impp. aut Pontificum conceſſerit, quod Pragmatici pro conceſſo ſupponunt; Emptores iſtos melioris eſſe conditionis præ Creditoribus debere; Cum Creditoribus uſurarum certus modus publica lege jamdudum ante permiſſus, & conſtitutus ſit *l. 26. C. de Vſur.* Emtoribus vero licentiâ multis poſtea ſeculis qualitercunque uſurpata, aut poſt uſurpationem per conniventiam ægrè indulta ſit. *Vid. Wilhelmus Godoleveus in præf. tr. de annua præſtatione Iacobi Venuti: Vbi fatetur eſſe hanc ſententiam, de promiſcua uſurpatione annuo-*

676



*ne annuorum redituum ex iis, quæ ſpreta conſtitutione Iuſtinianea, in ſcholas & forum Interpretes & Dd. invexerint.* Sic ut ſibi gratuluri debeant emtores redituum, ſi vel ſub iſta lege nunquam repetendi (ſimplum ſeu ſortem) alterum tantum lucrentur: Certe ſibimet imputare debeant, quod in hanc conditionem φιλαργυρίας ſtudio adſtringi ſe paſſi fuerint, maximè cum perpetuum paciſci potuerint. *v. inf. th.* 21. *f.* & jam publica lege probatum ſit pactum, ut debitore in præſtationibus annuis moram nectente, emtori ſortem repetere liceat. Receſſ. deputat. de Anno 1600. § ferners iſt biß anhero. Græveus *ad Gail. lib.* 2. *concluſ.* 7. *conſiderat.* 1.

*Imò vera etiam emtio, læſionẽ ultra dimidium deteſtatur l.* 2. *C. de reſc. vẽdit.*

XIII. Regerunt Pragmatici: Hæc quidem in umbra ſcholarum, σχολαίως καὶ ϛοχαϛικῶς, ita diſputari: ſed contra utilitatem communem, reditus annuos jam abſolutè probantem, cujus ſemper præcipua ſit habenda ratio, uti per multos à ſe citatos firmat Jacob Marchiſellus *recoll. q.* CXI. cum multæ nobiles & honeſtæ familiæ, imò etiam pupilli & viduæ ex reditibus annuis vivant; quarum perſonarum deterrima futura ſit conditio, ſi redituum perpetuitas intercludatur: Nec rectè appellari annuos reditus, qui ſingulis annis non reviviſcant; denique contrariam conſuetudinem jamdudum obtentam eſſe, adeoque valere debere illud Ariſtotelis 2. *Polit.* 8. *f.* ὁ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει παρὰ τὸ ἔθος. Si quidem contraria conſuetudine legi derogari poſſe, & textibus *l.* 32. §. 1. *ibi: leges tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogantur. de LL. l.* 6. *Quod cujuſque Univ. l.* 13. §. 1. *Commun. præd.* §. *pen. ubi jus civile ſæpè etiam tacito populi conſenſu abrogari dicitur. de Iuſt. & Iure. ibique Harprecht. cum alleg. n.* 28. *& ſeqq.* & exemplis jamdudum evictum ſit. *l.* 3. § *Divus Adrianus. ubi gl. in verb. ſepeliri. de ſepulch. viol. Dn. Carpzov.* 6. *Reſponſ.* 54. *n.* 7. *& reſponſ.* 79. *n.* 18. *Reſpondent* iterum Juſtinianei (1.) ſententiam affirmantium non ex ſubtili diſputatione, ſed ex ipſa legum diſpoſitione pendere, quæ etiam in annuis reditibus omnem uſurariam pravitatem & exceſſum excludat; Fatente ipſo Marchiſello *d. quæſt.* CXI. *verſ. ceſſante fraude uſurarum.* (2.) Utilitatem non ſpectandam eſſe, unius tantum partis, ſeu creditorum; contra *l.* 31. *verſ. ſi totius rei æquitatem* § 1. *depoſit.* ſed communem *l.* 51. §. 2. *verſ. multa. ad L. Aquil.* (3.) Nobiles & honeſtas familias aliter & commodius pecuniam collocare poſ-

ſe *arg. l. lex quæ 22. verſ. huic accedit. C. de admin. tut. Corollar. 4. Element.* honeſtiora etiam ſuſtentandæ vitæ ſubſidia virtuti palam eſſe propoſita (4) miſerabilibus autẽ Perſonis etiam hic ſuccurri, per not. inf. §§. ult. hujus artic. Denique annuum quodque civiliter intelligendum eſſe, ſub moderamine legis; quemadmodum etiam alia annua ad vitam percipientis reſtringantur. * De conſuetudine itidem jam dictum (1.) legi contrariam in judicio non eſſe attendendam *ex c. 26. de teſtib.* (2.) probandam *ad l. 3. §. ult. de teſtib.* & quidem quod contradicto judicio obtinuerit *l. cum de 34. de LL.* (3.) alias & extra hanc contradicti judicij approbationem, eam demùm conſuetudinem pro lege ſervari, quæ cauſas legibus non definitas definiat *l. de quib. 32. de LL. vid. Cujac. in recit. ad l. 1. C. quæ ſit long. conſuet.* Ubi exemplum de modo uſurarum apponit, ibi: At in ijs, quæ palam L. ſunt definita, conſuetudo non poteſt vincere legem v. g. lex eſt, de modo uſurarum, quem excedere non liceat: hanc conſuetudo vincere non poteſt: Certe non ea, quæ vicatim per compita â fœneratoribus forte conquiratur, ſed per tribunalia *d. l. 32. §. 1. ibi:* tenebunt omnes *de LL. Cujac. d. lo.* Ut taceã multos ipſam hypotheſin negare *per text. l. 2. C. quæ ſit. long. conſuet.* aut concedere tantum de abrogatione *obliqua*, per conſenſum omnium quorum intereſt, admiſſa: *non de directa*; veluti ſi quis exceptionem aut aliud remedium jure proditum in judicio apponat *Gœdd. ad l. 102. de V. S.* Quî enim poſſit aliorum imperitia, oſcitantia aut negligentia aliorum induſtriæ & advigilationi præjudicare. *arg. l. non enim 16. Ex quib. cauſ. maj. l. ſumma 21. De pecul. l. quod autem 6. §. ſciendum 7. l. ſi pupillus 24. inf. Quæ in fr. cred. D. Carpzov. 2. reſponſ. 97. n. 4.* Quî poſſit raritas uſurpantium, facultatem jure ſcripto utendi præſcindere. *Cont. l. 1. §. 2. De migrando. v. Racemat. Crimin. 1. th. 68. & Racem. 3. th. ult.*

** l. 4. ſ. 8. 11. 12. 13. 19. de annuis leg. ubi C. A. th. 3. n. 2.*

*V. Dn. Franzk. 2. reſolut. 10. n. 76. ibi: nec n. jus publ. ratione ſuffultum ulla conſuetudine tolli poteſt. l. 2. C. quæ ſit long. conſuet.*

XIV. Atque hæ rationes affirmandi ideò inprimis in *Eccleſia debitrice* obtinere videbantur, cum proponeretur Eccleſiam vel Monaſterium (de quo ſupra art. 6. th. 3. pag. 175. f.) Nobili pro 1000 fl. vendidiſſe annuos reditus 40. Quos Creditor, longè ultra alterum tantum percepiſſet, unde Monaſterium, Creditorem, ulteriores reditus petentem, excludere hac exceptione ſatagebat; præter ſuperiores etiam his ſuffulta rationibus; quod

677.

quod jura exceptione alterius tanti in annuis reditibus excludentia, pro Civitatibus & Eccleſiis inducta, non ſint in odium iſtarum Univerſitatum retorquenda *vid. ſupr. art. 6. §. 3. & 5.* Sed quoties Univerſitates iſtæ fungantur partibus debitorum, non debeant auxilio juris ordinarij privari; Maximè cum ipſe Gailius Pragmaticorum *alpha. 2. obſ. 7. n.* 14. moneat, hactenus reditus annuos tolerabiles eſſe, ſi modus in his non excedatur. At talem modum etiam in duratione recipiendum eſſe. Removebatur etiam ratio à Cl. Dn. Carpzovio *3. conſtit.* 24. *definit.* 12. *n.* 13. oppoſita; (quod in emtione prædiorum non habeatur turpe, ſi reditus poſt viginti annos excedant pretium emtionis, cum emptor lucrum percipiat ex re ſua.) *Regeſta* diſtinctione inter emtionem veram & fictam: In emptione enim fundi præſupponi fundi ceſſionem, ſeu traditionem, ſubſequi culturam, ſupportari onera & incommoda; Itaque emtori compendia etiam nunquam invidenda accidere: Illa vero omnia deficere in ficta redituum emtione. *Erneſt. Cothman. 2. reſp. 52. n. 74. Salmaſ. de fœn. trapez. p.* 81. Adeoque lucri perpetuitatem non poſſe ab omni πλεονεξίας turpitudine liberari:

XV. Inſtant Viri Docti, *diſp. de altero tanto th.* 93. monentq; attendendum eſſe, quod in emtione redituum ſors perpetuo ſit alienata, & quod ita, ut ſimplum nequeat repeti. *Weſemb. in Π. de Vſur. n.* 14. E. Nec poſſe duplum conſtitui ſimplo plane ſubtracto; *Iuſtinianei* accepta hypotheſi argumentum invertunt, dicuntque: ſi tam facilis fuit Emtor, ut ſimpli quoque repetitionem pacto abjuraret; cur receptione dupli per intervalla penſionum ſoluti, nolit eſſe contentus. Ad hæc notant; ipſum Weſenb. annuorum redituum vigorē, ex objecta ratione, promiſcuè defendentem, diſertè limitationem legis & hic inculcare illis verbis: Dummodo moderatio legum ſervetur. jung. *Berlich. 2. concluſ. 1. & 2.* *Cum & vera emtio læſionem ultra dimidium abominetur.*

XVI. Obſervant alij mediam quandam ſententiam diſtinguentium, inter cenſus fundales & volatiles, poſt; *Innocent.* Covarruv. Navarr. Caniſius ad cap. xi. de cenſib. pag. 170. & 174. ut *in his* ſcholę, *in illis* fori ſententiā ſequamur; quod cenſus fūdales facilius à turpitudine uſuraria poſſint liberari *v. ſupr. pag.* 150. 152. 158. 164. *th.* 5. *iterumque p.* 166. *th.* 10. Et de hac ſpecie potiſ- *Conciliatio & Diſtinctio prima.* *Conf. inf. th. 22. f.*

 ſimum

ſimum loqui Berlichium 1. *deciſ.* 30. *n.* 5. ex illis verbis demonſtrant: Si quis annuas penſiones, ſeu annuas reditus emerit v.g. ut pro centenis aureis ex fundo aliquo vel domo ſingulis annis ei ſolvantur, (cenſus vel penſionis nomine) quinque aurei; Ejuſmodi emptio (inquit Berlich.) ſive reditus conſtituantur in pecunia, ſive in frumento, ſive aliis rebus, bene valet; Et cenſus illi ſolvi debent, etiamſi poſt multa annorum curricula pretium excedant & alterum tantum ſuperent. *Hactenus Berlich.* Obſervant, in iiſdem ferè terminis & de hoc ipſo caſu potiſſimum loqui & decernere alterum illud Themidos in Saxonia decus D. B. Carpzovium *in aſyl. debit. cap.* 1. §. 28. cum ſcribit: Si quis annuos reditus, cenſus, annuasve penſiones, certo ſibi comparaverit pretio, ita ut pro eo *ex fundo aliquo vel domo*, ſingulis annis ſolvantur cenſus & penſionis nomine, quinque pro ſingulis centenis; Reditus hos (ſive in pecunia ſive in frumento aliiſve rebus conſtituti fuerint) etiam poſt multa annorum curricula, & ſic ultra duplũ præſtari debere. *v. Layman* 3. *de I. & I. tr.* 4. *c.* 18 *n.* 8. *ubi fatetur, cenſum perſonalẽ periculo intentionis uſurariæ nõ carere.* Rationẽ differentię Opinatores iſti ajunt eſſe notabilẽ: quia objectũ & fundamentũ hujus exactionis, non ſit ſola pecunia ejuſve uſus, ſed res immobilis; ex qua perpetua utilitas citra labem conſcientiæ hauriatur. Eoque etiam collimare videtur potiſſima ratio D. Carpzovij *d. cap.* 1. *n.* 336. cum ait: Ignotum eſſe nemini, quod celebrata emptione venditione, redituum jus, ac facultas annuas penſiones percipiendi, in emtorem ita transferatur, ut ceu Dominus quovis tempore eas ſibi proprias facere poſſit. Ergo poſt centum quoque annos (durante ſc. Dominio rei emtæ) non attento an fructificatio ſimplum vel quadruplum ſuperet add Fr. Nigrum *lib.* 1. *controv. forenſ.* 1. *n.* 13. Franciſc. Milanenſ. *lib.* 2. *dec.* 2. *n.* 115. & alios prædiorum fundamenta hic omnino requirentes. Licet eos iterum ſubdiſtinguant, (quod ſupra quoque retulimus) in conſignativos & reſervativos: Ut in priore ſpecie, alteri cenſum in fundis noſtris, quos retinemus, aſſignemus: In poſteriore fundos in alium transferamus, reſervantes nobis jus percipiendi cenſus annui, aut penſionis *v. Benedict. Bonius tr. de cenſibus artic.* 9. *n.* 25. *juncto artic.* 58. *n.* 89. *Leſſius de I. & I. lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 2. *&* 12.

XVII. Sunt

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-567836-p0024-7

678

XVII. Sunt qui Juſtinianeis *veritatis palmam* tribuunt; Uſui tamen fori *propter bonum pacis* tantiſper concedendum putant, donec à Superioribus certi quid definiatur. Eoque conducunt rationes ſuperius adductæ; pluſculum effecturæ, ſi non deſuetudo tantum, ſed & contraria legi conſuetudo contradicto judicio obtenta proferretur *l. cum de 34. de LL. l. 2. C. quæ ſit long. Conſu. l. 3. §. ult. ibi. nam ſi probabitur. de Teſtib. v. 8. 13.* Quorſum pertinere videtur relatio, quæ in gravi negotio à Clariſſimo quodam JCto ſcripta, Commilitonibus b. f. communicabitur, in quorum gratiam duo producta præmittemus, ut ſeries negotij facilius poſſit percipi. Ita autem habebat libellus appellationis, iniquitatis & nullitatis ſummarius, cum annexâ petitione N. contra N. *Aliud εὔρημα.*

Hoch wohlgeborne Gräffin; E. Hochgräfflichen Gn. ſeind meine vnterthänige dienſt/neben meinem andächtigen gebet zuvor/ Gnädige Fraw. Vor E. Hochgräfflichen Gn. erſcheinet Anwald deß I. A. A. hochgemüßigter appellanten/ entgegen vnd wider H. I. H. appellaten/krafft gewalts/der hiemit in vnterthänigkeit übergeben würd/in willens die eingeführte vnd angenommene appellation der gebühr zu proſequirẽ/zu derẽ formalien Juſtificatiõ er ſich ad acta referirt; wz aber die materialia vñ die hauptſach anlangt/ übergibt er/mit vorbehalt aller wolthatẽ der Rechtẽ/ vnd inſonderheit deß beneficij; non deducta, deducam, non probata, probabo, dieſen libellum appellationis, iniquitatis & nullitatis, nicht in forma ſolenni, ſondern allein ſchlechter/ iedoch warhaffter erzehlung der ſachen vñ gravaminum beſchaffenheit/vñ ſagt kürtzlich/iedoch beſtändiglich/daß in voriger Inſtantz/übel vnd nichtig/oder zum wenigſten wider recht geurtheylet/vnd durch ſolch vrtheyl wolgedachter Herr N. vnd das Kloſter A. höchlich gravirt vnd beſchweret/auß nachfolgenden vrſachen. *Libell. Appellat.*

(1) Das weder Anwald noch ſein Herr Principal ad inrotulationem actorum, vor derſelben transmiſſion citiret/ ſondern die acta ohne deroſelben beyſein/inrotulirt, vnd nacher Marpurg der Juriſten Facultät daſelbſt/ geſchickt werden: dahero die ſententia ipſo Jure nichtig; ſi quidem pro forma transmiſſionis actorum requiritur, ut judex, antequam acta transmittat, partes citet ad collationem & inrotulationem actorum, alias ſen-

tentia ipſo Jure nulla eſt, *Schrad. in tr. Feud. part.* 10. *ſect.* 14. *n.* 31. *& ſeqq. Berlich. practic. concluſ. part.* 1. *concluſ.* 59. *n.* 17. *& ſeq.*

